

Hermann Lembke Johann Jacob Weitz

Disputatio Iuridica Inauguralis De Litis Contestatione

Rostochii: Kilius, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74005998X>

Druck Freier  Zugang



Festlegung der Hauptpunkte
von Klügel und Kreydehagen

R U für 1669.

Herrn. Lembke, Pr.

Johann Jacob Weitz, Rev.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

LITIS CON-
TESTATIONE,

Quam

Deo benigne adjuvante,

Decernente Magnifico Jctorum Ordine in Inclya
celeberrima & florentissima Academia Rostochiensis,

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi VIRI

D N. HERMANNI
Lembken/

Jcti & Cod. Antecessoris famigeratissimi,
Facultatis Juridicæ Senioris, & in præsentia actu Decani

Spectabilis, Præceptoris, Patroni, atque Promotoris
sui æviternum venerandi,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Honores ac Privilegia Docto-
raliarite & legitime consequendi
publico placidoque eruditorum examini submittit

JOHANNES JACOBUS Wetig/
Mœno - Francofurtenfis.

In Auditorio Majori, ad diem XXV. Maji boris ante 8 pomeridianis.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad, Typogr. Anno 1669.

1669

INCLYTÆ,
Illustris ac Liberæ S. R. Imp.
Reipubl. Francofurtensis
ad Mœnum

ORDINI SENATORIO
DN. PRÆTORI
DNN. CONSULIBUS
DNN. SCABINIS
DNN. SYNDICIS
DNN. SENATORIBUS
VIRIS

Nobilitate Generosis, Authoritate Magni-
ficis, Consiliorum gravitate Consultissimis, Pruden-
tiâ Amplissimis, Undiq; Celeberrimis,
Dnn. Patronis, Evergetis ac Fautoribus
meis, omni & Obsequii & honoris cultu devotè
prosequendis,

Disputationem hanc Inauguralem Me, Meaq; Studia
devotissimâ reverentiâ & submissione

D. D. D.

Tanti splendoris, tantaq; Nobilitatis
subjectissimus Cliens

JOHANNES JACOBUS *Wetzl*
Mœno-Francofurtensis.



IN NOMINE DOMINI NO- STRI JESU CHRISTI.

Ad omnia Consilia omnesq; Actus feliciter progredimur.
l. 2. C. d. off. Praefect. Prat. Afric.

Præloquium.



Uamvis multa, ex q; varia sint in amplo utriusq;
juris Oceano Materiae, & Theoreticae & Pra-
cticae, quae Scientiam juris & Judiciorum ordi-
nem proponant, vix tamè ulla earum, quae in foro
occurrunt, necessitate & utilitate Litis Contesta-
tionem vincit aut superat. Quippe illa omnes
partes processus, longo intervallo post se relin-
quit; quin imò toti processui lucem foeneratur.
Tanta enim ejus est necessitas, ut sine eà processus ipso jure sit nullus:
C. un. in fin. X. de lit. Contest. Mynsing. 1. observ. 1. & 3. obs. 74. Gail. 1. obs. 75. Rosbach in proces. tit. 49. n. 2. Hinc lapis angularis, basis, princi-
pium & fundamentum totius judicii vocatur, cui omnia innituntur,
acta, quae sunt vehiculum ad Sententiam *Roland à vail. vol. 4. Conf. 8. n. 7. Georg: Obrecht tract. de litif. Contest. Cap. 10. n. 6. Carpvov. lib. 3. tit. 4. Respons. 31. n. 1. & 2.* quia litis Contestatione ipsum judicium constitui-
tur *l. un. C. h. tit. Bald in auth. Clericus n. 8. C. de Episcop. & Clericis, & Alexand. Consil. 182. n. 6. vol. 6. c. 30. X. d. V. S. Cujac. ad Decretales h. t. adeo ut quicquid ante litem contestatâ fiat, hoc videatur extra judiciû fieri l. 25. §. 8. ff. de edil. edict. l. un. C. d. lit. Contest. Wesenbec. in parat. ff. de his qui notantur in fam. n. 9. in med.* Utilitatem hujus materiae Commendat ipse usus quotidianus, & varius, qui inde redundat effectus, per litisenim Contestationem conditionem nostram haud deteriores, sed meliorem plerumq; facimus *l. 86. ff. d. R. j. l. 33. in fin. ff. de legat. 1.*

A

& non

& non nobis solum, sed etiam heredibus nostris prospicimus l. 87 ff. de R. J. l. 13. pr. ff. de Injur. Unde Perez in d. l. unic. C. h. t. n. s. eruditos ac providos Advocatos & Procuratores, qui à parte actorum interveniunt, monet, ut totis viribus nitantur, ut quàm possit citissimè litis contestatio fiat; Sicut è diverso Advocati Procuratoresve Reorum, quorum est fugere, l. 2. pr. C. d. Juram. Cal. l. 13. C. d. Judic. id agere solent, ut Contestatio litis, quamdiu fieri possit, differatur, ne per eam illorum conditio deterior efficiatur. Quemadmodum Herm. Vultejus, testatur, aliquando à die mortis ejus, de cujus hereditate sagebatur, ad litis usque contestationem elapsos fuisse annos ferme 38. & rursus ab inventura nova usq; ad litis contestationem annos 75. in Conf. Marpurg. vol. 1. Consil. 17. n. 6. & vol. 3. conf. 30. n. 41. Cujusmodi protelationis causam non minimã sæpe Rabulariù Forensiù ignorantia luppeditat, plurimi enim hodie in foro versantur, qui teste Cujacio ad Decretales h. t. & ipsà experientià acclamante, liquido nesciunt, quid sit litis Contestatio & quando illa contestata dicatur, vel non: usq; adeo, ut in Camera Imperiali eo nomine Assessor legatur remotus, quod nesciret, quid esset litis Contestatio R. Ruland de processu Judic. p. 2. lib. 3. ad. cap. 1. s. 1. vers. usq; aded. Hæc cum ita sint, hanc Materiam præ aliis publicè in hac Inaugurali Disputatione ventilandam, elegi. Sit itaque.

THES. I.

Litis vocabulum haud dubiè est primitivum, & multarum vocum genitrix, unde litigium, liticula, litigator, litigiosus descendunt. Derivat quidem Isidorus in C. forus 10. vers. *lis autem X. de V. S.* à limitibus, eò quod sæpissime propter limites lites exoriantur, secundum illud Virg. lib. 12. Æneid. Limes erat positus, litem ut decerneret agris Gregor. Tholos Syntag. jurù lib. 39. Cap. 13. n. 3. Sed minus propriè, uti demonstrat Gædd. n. 4. ad l. 36. ff. de V. S. Neque tamen illam, quam ipse eodem loco substituit denominationem, quod *lis* dicatur quasi *licet*, probare possumus.

THES. II. Varias autem vocabulum litis habet significationes; sumitur enim vel vulgariter, vel juridicè: *Vulgariter*, pro rixa, discordia, controversia seu contentione, à Philol. & Lexicographis communiter: quam vulgarem etiam in legibus nostris reperire licet l. 20. ff. de

O. & A

5

O. & A. l. 1. ff. de jurejur. l. 21. in fin. ff. de reb. credit. Juridicè iterum, Vel pro ipsa re, in judicium deducta l. un. C. b. r. hinc lis inofficiosi vocatur in l. 6. ff. d. dot. collat. quæ res inofficiosi nuncupatur in l. 8. §. 1. ff. de inoffic. testam. & litis æstimatio dicitur aliàs, rei æstimatio l. ult. ff. de Condict. critic. l. 47. ff. de R. V. l. 8. ff. de eo quod cert. loc. l. 21. §. 2. ff. de Evid. Vel pro ipsa actione sive in rem, sive in personam, l. 36. ff. de V. S. l. 4. l. 73. §. 2. ff. de judic. tam Civili, quàm Criminali l. 13. pr. C. de Judic. l. 15. §. 3. ff. ad SCTum turpill. l. ult. C. ut intr. cert. temp. crimin. quæst. term. Hinc litem in judicium deducere l. 11. §. 7. ff. de except. rei judicat. l. 31. §. 2. ff. de negot. gest. lici renunciare l. 10. ff. d. Judic. Vel pro ipso Judicio l. 4. S. 1. ff. de alienat. judic. mut. Vel pro judicii instantia l. 13. §. 1. C. de Judic. Unde lis temporibus legitimis transactis perire l. 18. §. 4. ff. de dol. mal. & lis mori dicitur l. 3. S. 1. ff. quæ infraud. credit. l. 2. ff. judicat. Solvi. Vid ulterius Magnificum Dn. D. Rebhan, Præceptorem & Patronum meum semper obsequiosâ mente venerandum in Hodegeta juris pag. m. 666. & seq. Hoc autem loco sumitur pro ipsa Causa, seu pro ipso Negotio, de quo quæstio inter actorem & reum in judicio vertitur. l. un. C. h. t. vid. omnino Umm. d. D. ad process. 12. th. I. n. 1.

THESES III. Contestationis nomen dictum volunt à testibus, qui ad dictorum factorumve probationem adhibendi sunt arg. l. 1. §. 1. ff. quod jus. l. 7. §. ult. ff. d. decur. Et litis contestationem, à veteri litigandi modo, qui testatò hæc, adhibitis testibus fiebat, deductam, communis D. D. Schola statuit. Solebant enim litigaturi ordinato à Prætorè judicio, testes de judicio subeundo advocare, & uterq; dicere *Testes estote*: uti antiquus ille litigandi modus à Cujac. lib. 9. Obs. 21. Obrecht. tract. d. lit. Contest. c. 5. n. 2. cum seqq. & Aliis prolixius describitur, de quo tanquam abolito, pluribus hæc agere super sedemus, ea potissimum, quæ in ipsis rerum argumentis obtinent, pertractaturi Umm. D. d. 12. th. 5. n. 15. pr. quamvis enim ritus & solennitas illa, testes advocandi in usu esse desiderit, mansit tamen & nomen & vis & effectus litis contestationis. Perez. in C. h. t. n. 1. Germanicè Litis contestatio vocatur, *Krieges Befestigung*. Simili, à belli acie desumpto, sicuti enim dum acies instruitur, prælium adornari & firmari videtur, ita etiam judicium velut prælium civile, quod à litigantibus præparatur, litis contestatione fundari dicitur. Conf. Besold. in thesau. jur. pract. voc. *Krieges Befestigung*. Dicitur quoq;

quòq; aliàs iudicium acceptum seu susceptum. l. 23. l. 28. §. 2. l. 30. ff. de iudic. l. 40. pr. ff. d. petit. hered. l. 20. l. 25. ff. de R. V. & litem contestari, est iudicium accipere l. 28. §. 2. l. 34. ff. de iudic. l. 63. l. 73. ff. de procurat. Vel iudicium suscipere. l. 2. §. 3. l. 3. ff. de iudic. & passim.

def THES. IV. Hac vocabulorum ambiguitate discussa, hoc modo definiiri poterit litis Contestatio, Quod sit negotii Principalis, apud competentem iudicem, ab Actore facta narratio ac petitio, & à Reo insecuta congrua responsio l. un. C. h. t. l. 2. pr. C. de juram. propt. calumn. C. un. X. de L. C. c. § 4. §. partibus X. de Elect. Sichard. ad rubr. C. h. t. n. 3. Brunnem. ad l. un. C. h. t. Hahn. in Wesenb. tit. de iudic. n. 7.

THES. V. Dicimus in definitione: negotii principalis: Lis enim super eo præprimis contestanda est, quod inter partes litigantes principaliter agitur, id autem principaliter agi dicitur, cuius causâ ad iudicem itur, quod cuiusmodi? ob multitudinem & varietatem negotiorum contingentium, certâ regulâ comprehendi nequit. Cætera enim vel incidentia vel emergentia, quæ circa & propter causam principalem occurrunt & ventilantur, vel præparatoria potius iudicii, quam merita ipsius causæ respiciunt, vel etiam ita sunt comparata, ut litis contestationem non desiderent. Umm. d. D. 12. th. 4. n. 14. Gail. 1. obs. 74. n. 2. Carpozov. part. 1. Const. 10. def. 21 tot.

THES. VI. Addimus: apud iudicem competentem: quia ut litis contestatio olim coram Prætoribus vel Præfide facta fuit: Obrecht. d. tract. 6. 1. n. 16. l. 16. ff. de offic. præsid. l. 73. ff. de procurat. ita hodie fit coram quocunq; Iudice competente d. l. un. C. de L. C. c. super 27. v. quod si X. de Offic. deleg. Deinde verba hæc excludunt narrationem ac responsionem extrajudicialem, utpote quæ litis contestationem nullam inducit. l. 56. ff. de re iudic. Sichard. in rubric. C. h. t. n. 4.

THES. VII. Sequitur in Definitione: ab Actore facta narratio ac petitio Non enim sola sufficit narratio, aliàs per positiones quoq; ac responsiones ad eas, induceretur litis contestatio, quod tamen reprobatum in C. un. X. h. t. Cum is qui ponit aliquid, nihil ab adversario petat, nec etiam ostendat, per hoc se agere velle Glos. ad d. c. un. vers. responsiones. Gail. 1. obs. 73. n. 6. Perez. in C. h. t. n. 4. Sed necessum est, ut narrationi annectatur petitio, quæ actoris intentionem contineat, quâve iudicem roget, ut adversarium ad id, quod sibi deberi vel facere oportere asserit, litem

7
litem contestari h. e. affirmativè vel negative respondere compellat
Sichard. in rubr. C. h. t. n. 3.

THESES. VIII. Deniq; adjicimus; à Reo infsecuta congrua responsio: requiritur enim ut ad narrationem & petitionem Actoris congrua sequatur responsio Rei *d. c. un. X. de Lit. Contest.* Responsione autem hac infsecutâ, præsumitur facta litis contestatio. *Mascard. de probat. conclus. 434 n. 16. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 30. n. 1. Nisi de contrario animo appareat, veluti si Reus protestetur, se litem non contestaturum, sed saltem judicem informatum. Menoch. d. præf. 30. n. 4. Umm. d. D. 12. th. 5. n. 15. in med. Mys. 3. obs. 74. quæ tamen protestatio Reum non relevat, si à judice litem contestari jussum sit. Mascard. d. conclus. n. 20. & seq. Umm. d. D. th. 5. n. 15. m. Perez. in C. h. t. n. 2. Gail. Obs. 73. n. 5. Brunnem. in l. un. C. h. t.*

THESES. IX. Cùm itaq; ex Responsione Rei, animus litem contestandi regulariter præsumatur, non opus est vel à parte Actoris, vel à parte Rei clausulam illam vulgarem, animo litem contestandi h. e. In Gemüß und Meinung den KriegRechtens zu befestigen / narrationi vel libello inferere, vel etiam responsioni annectere *Umm. d. D. th. 5. n. 15. & alii ibidem alleg. quib. add. Perez. in C. h. t. n. 2. Sichard. ad rubr. C. h. t. n. 5.* Siquidem nulli amplius Noviori jure, in litis contestatione adhibentur testes, & non apud alium quàm eundem, qui in judicio causam audit, fit litis contestatio *l. un. C. h. t. Umm. d. D. 12. th. 1. n. 2. in fin. Gædde. in l. 36. de V. S. n. 12.* Cum qua opinione convenit jus nostrum Camerale, quo necessarium haud esse, Clausulam præfatam communiter alias usitatam, narrationi vel responsioni adjicere, Stylus ejusdem attestatur. *Ord. Cam. part. 3. tit. 13. S. und nach dem: in verb. soll der Krieg/ ob auch der Litis contestation nicht ausdrücklich Meldung geschehen/befestiget zu seyn und gehalten werden.*

THESES. X. Divisiones litis contestationis variæ à variis adferuntur, ut videre est apud *Obrecht. d. tr. de lit. cont. cap. 2. Brunneinan. tr. de proc. jur. cap. 14. n. 6. & seqq. & vulgè Dd.* Nos salvo quorumcunq; rectius sententium judicio, existimamus, Litis contestationem, I. Aliam esse Veram Aliam Quasi: II. Aliam esse Affirmativam, Aliam Negativam, & utramq; iterum vel Simplicem seu Explicitam, vel Qualificatam seu Implicitam, III. Aliam esse Generalem, Aliam Specialem.

THESES. XI. I. Vera litis contestatio illa est, quam ante descripsimus & porro enodabimus. Quasi litis contestatio fundatur in *l. 2. C. ubi in rem act. & c. 5. §. in aliis vers. quod si super X. ut lite non contest. & c.* Communiter tamen Dd. quasi litis contestationem, in iis casibus, quibus vera litis contestatio non requiritur, constituunt primum actum iudicarium, qui merita causæ principalis respicit. *Umm. d. D. th. 7. n. 24. Rosbach. in process. tit. 49. n. 17. Berlich. part. I. Conclus. 26. n. 5. Carpz. part. 1. Conf. 3. def. 4. n. 3. Brunne man. in process. Jur. cap. 14. n. 3.* Sic quoque pro litis contestatione habetur, Libellus Principi oblatas, si rescriptum insequatur, hoc effectu, ut actiones prætoriz annales perpetuentur, & ad heredes transeant *l. 1. & 2. C. Quando libell. princ. dat. ibidemq. Brunnem.*

THESES. XII. Etiam si verò Altera illa Divisio in Affirmativam & Negativam, à Jctis magni nominis rejiciatur. Nos tamen firmo eam talo subsistere: & non solum ex limpidissimis Legum fontibus profluere, Sed etiam autoritate gravissimorum Jctorum sustineri & ipso usu forensi comprobari, in dictursu latius demonstrabimus. Est itaque Litis contestatio Affirmativa, & quidem Simplex seu Explicita, quando Reus ad narrata & petita in libello, verbis affirmativis simpliciter, sine ulia adjecta limitatione vel exceptione respondet; Quà responsione, affirmativà, veluti confessione judiciali, non minus, ac negativà responsione, iudicium suscipitur, ac constituitur; non minus quoque finis litis contestationis obtinetur, ita ut hoc casu Actor ab onere probandi relevetur, Judex verò confessum condemnare, certum ad solvendum terminum præstituire, & ni pareat, iuxta Leges & statuta loci ad præstandum id quod debetur, adigere queat *l. 21. ff. de judic. l. 5. ff. de confess. Rosbach. in process. tit. 49. n. 8.* Affirmativa Qualificata seu Implicita est, quando Reus non ita simpliciter confitendo, sed allegando simul, vel pactum interpositum, vel transactionem subsequutam, vel solutionem factam, ad narrationem actoris respondet *l. 9. C. de Except.*

THESES. XIII. Litis contestatio Negativa, & quidem simplex seu Explicita dicitur, cum Reus ad narrata & petita Actoris Simpliciter negando responderet. Negativa verò Qualificata seu Implicita est, quando Reus non simpliciter negat intentionem Actoris, sed vel limitationem vel qualitatem aliquam negativæ suæ annectit. Non tamen negamus, ut plurimum litis contestationem fieri negativè seu per contradictionem,

nem, quò sine dubio respexisse videtur Imper. Justinian. *inst.* 14. §. I. C. de *Judic.* junct. l. 3. 4. 5. ff. de *legib.* Fundatur hæc divisio in l. 2. pr. C. de *juram. propt. Cal. Auth. offeratur* C. h. t. c. 54. §. paribus X. de *elect. c. un.* X. h. t. l. 37. in f. ff. de *procurat.* l. 26. de *re jud.* l. 21. ff. de *judic.* l. 5. ff. de *confess.* Comprobatur eadem à Gloss. in *c. un. verb. responsiones* X. de *lit. contest.* Maraut. in *spec. part. 6. de lit. contest.* n. 5. Si hard. ad rubr. C. h. t. n. 3. 5. 6. & ad l. un. C. eod. n. 1. & 2. Arnold. de Reiger *exercit. pract.* 5. th. 2. Gædde. ad l. 36. ff. de *V. S.* n. 21. & seqq. Rosbach in *process.* tit. 49 n. 2 6. & seqq. Carpzov. *part. 1. const.* 10. def. 2. n. 3. def. 10. & tit. 3. tit. 4. Resp. 31. n. 23. & Resp. 32. n. 8. Idem in *process. jur. tit. 10. art. 3. §. 4. n. 27.* & §. 5. n. 29. & novissimè Hahn. ad *Wesenberg. de judic.* n. 7.

THESES. XIV. III. Generalis litis-contestatio est, cum Reus ad omnia actoris narrationis capita, simul & unà elocutione generaliter respondet: V. C. Ich bin der Klage nicht geständig. Specialis, cum sigillatim ad narrata & petita Actoris respondet, veluti Ich bin dieses oder jenes nicht geständig. Obrecht. *d. tr. cap. 2. n. 33.* & seqq. Rosbach. in *process. jur. tit. 49. n. 15.* Gail. *1. obs. 73.* Brunnem. in *process. c. 14. n. 9.* Generalem litis contestationem improbat. Perez. ad l. un. C. h. t. n. 4. quòd illa judici causæ Statum exactè non demonstrat: Eandem jure quoq; Saxonico reprobata esse, pluribus deducit *Berlich. part. 1. Concl. 26. n. 1.* & seqq. & Carpzov. *part. 1. Const. 10. def. 1.* & lib. 3. t. 4. Resp. 32. n. 1. & seqq. quòd ex ea, multa incommoda ac pericula tam litigatoribus, quàm ipsis iudicibus generentur, & illà temorà lites citius finiantur, quò collimare quoq; censetur Imper. in *Noviss. Recessu de anno 1654. §. 37.* quando litium abbreviandarum causâ jubet, ut Reus ad narrata & petita actoris, clarè, distinctè, specificè ad quòdvis caput, cum omnibus circumstantiis respondeat.

THESES. XV. Causam Efficientem Litis Contestationis constituent Actor & Reus, qui vel ipsimet proprio nomine litem contestantur, vel per alios; Proprio nomine litem contestari possunt, Omnes qui non prohibentur *arg. l. 12. §. 1. ff. de Judic.* Prohibentur autem quidam Naturâ, quidam Lege: Naturâ prohibentur Infans, Furiosus, Mente captus, Mutus & Surdus naturâ simul; quia litis contestatio Judicium & intellectum requirit, hi autem cum iudicio secum deliberare & ad Actoris narrationem congruè respondere haud norunt Obrecht. *d. tr. c. 3. n. 3. 4. 5.*

THESES.

THESES. XVI. Lege prohibentur Alii, qui Sui, Alii qui Alieni sunt juris: Sui juris, iterum sunt vel sub Tutela vel cura, Sub Tutela sunt, Pupilli, & hi per se litem contestari nequeunt. Quia non habent legitimam personam standi in iudicio *l. 1. §. 2. C. qui legit. person. stand. in iudic.* Sub Cura constituti sunt Minores, uti & Furiosi, mente capti, & qui furiosis ex parte comparantur, Prodigii *l. 7. §. 11. §. 12. ff. quib. ex caus. in possess. eatur.* Qui cum pleno intellectu & iudicio destituantur, Curatore consentiente litem & intendere & excipere debent *d. l. 2. C. qui legit. pers. Obrecht. d. tr. cap. 3. n. 11. & seqq.*

THESES. XVII. Alieni juris sunt vel Servi Romanorum, qui cum personam & caput habere non intelligantur, regulariter in iudicio contestari & litem contestari nequeunt, Exceptis certis casibus, quos relative concessit *Obrecht. d. c. 3. n. 18.* Vel Filiifam. qui itidem regulariter suo nomine litē non contestantur, quia nihil proprii habere videntur, quicquid enim acquirunt, patri cedit *§. 1. 3. per quas person. 79. ff. de acquir. hered.* Excipitur 1. Causa peculii castrensis vel quasi, in qua litem contestari non prohibentur, cum in ea pro patribus fam. habeantur, *l. 4. ff. de iudic. & tot. tit. ff. de Castr. pecul. l. 6. in f. pr. C. de bon. que liber. 2.* Causa criminalis, in qua ad poenam corporalem obligantur *l. 1. 1. inst. de oblig. que ex del. nasc. 1. 1. ff. de publ. iudic.* quia malorum mores adversus precepta legum, ratione ætatis non excusantur *l. 37. §. 1. ff. l. 1. C. de minor 25. ann.*

THESES. XVIII. Alieno nomine litem recte contestantur. 1. Patres filiorum loco, in bonis adventitiis, cum in illis bonis legitimi sint administratores *d. l. 6. pr. §. 2. C. de bon. que liber.* 2. Tutores nomine Pupillorū, qui quamvis principaliter dentur personis *§. 4. inst. qui testam. tutor.* per consequens tamen etiam bona pupillorum administrare, adeoq; litem pro iis suscipere possunt. *l. 1. 1. ff. & l. 11. cum 1. 1. C. de admin. tur.* 3. Curatores, nomine Minorū, Furiosorū, Prodigiorū, Aliorumve *l. 1. 1. ff. & C. de Curat furioso, & al.* 4. Filiifam. patris nomine, si vel non sit, qui huius loco agat *l. 18. §. 1. ff. de iudic.* vel Pater ob furorem vel dementiam absentis loco habeatur *l. 17. §. 11. ff. de injur. 5.* Procuratores suorum principalium nomine, quorum vicem representant. *l. 11. pr. ff. de d. dol. mal. except. l. 11. l. 22. C. de procur.* Quod procedit, etiam si in mandato procuratorio nulla facta sit litis contestationis mentio

mentio, *Mynsing*. 4. *Obs*. 99. Vel etiam principalis libellum in iudicio proposuerit. *Barr*: in l. 3. §. *idem scribit*. n. 18. ff. *de pecul*.

THESES. XIX. Quod si Reus cunctetur & litem contestari contumaciter differat, legitimis remediis, ut id faciat, compelli potest, veluti Immissione in bonor. possessionem l. 8. C. *quom; & quand. jud. l.* 9. C. *d bon; aut; judic*. Vel pignoribus captis. l. 5. §. 10. ff. *d. agnos; & alend. liber Umm*: d. D. 12. th. 2. n. 7. *Brunn*: in *proc. c.* 4. n. 11. 13. Vel Expenfarum refusione *Carpzov. part*: 1. *Const*: 10. *des*: 12. & *lib*: 3. *tit*: 4. *Resp*: 33. n. 17. Vel etiam lite in contumaciam pro contestata habendâ. *Ord*: *Cam*: *part*: 3. *tit*: 43. §. 4. *wo aber*: *junct*: *Noviss*: *imper*: *Rec*: *de ann*: 1654. §. 36. *Myns*. p. 4. *Obs*: 66. *Rosbach*: in *proc*: *tit*: 49. n. 4. *Umm*. d. D. th. 2. n. 7. *Gail*: 1. *Obs*: 59. n. ult; & *Obs*: 80. n. 2. Quod remediû hodie de Jure Camerali potissimum frequentatur. *Nov*: *Imp*: *Recess*: *de ann*: 1654. d. §. 36.

THESES. XX. Quod Objectum seu materiam L. C. attinet, Litis contestanda est Regulariter, in omnib⁹ Causis ac Negotiis, de quibus iudicium suscipitur, tam Civilibus, quàm Criminalibus; de Civilibus res est liquida, sed nec de Criminalibus dubitandum *per l* 15. §. 5. ff. *ad scdm*. *Turpil*: l. ult. C. *ut intra cert; tempus crim*: *quest*: *Ob*: *rechr*: d. *tr. C.* 4. n. 22. *Umm*: d. D. th. 4. n. 12. *Jul*: *Clar*: *lib*: 5. *senr*: 5. *ult*: 9. 45. n. 2. & *seq*. *Berlich*. p. 1 *Conc*: 26. n. 5. *Carpz* p. 2. *Const*: 10. *des*: 19. In Iudiciis tam petitoriis, quàm possessoriis. Nam & possessorium litis contestationem desiderare, notat *Barr*: in l. 12. §. 1. n. 34. & *seq*. ff. *de acquirend. poss*. *Wesemb*: 1. *Conf*: 6. n. 5. *per textum* in §. 4. in *fin*. *J. de interdich*: *Umm*: d. D. th. 4. n. 12. *Coibm*. 1. *Conf*: 17. n. 27. & 72.

THESES. XXI. Nec solum in prima, sed etiam secunda Appellationis instantia; Et quamvis posterius membrum de jure Communi à Dd. in dubium vocetur *per c.* 58. X. *de appell*. *Perez*. in C. *ad l. un; h. l. n* 8. *Myns*. l. *obs*. 1. *Gail*. 1. *Obs*. 76. n. 1. *Umm*. d. th. 4. n. 13. Hodie tamen ita servatur, ut in omnibus causis, quæ per appellationem ad Camerale iudicium devolvuntur, necessaria sit litis contestatio, sive à definitiva, sive ab interlocutoria fuerit appellatum, nec sufficiat, eam in prima instantia factam fuisse. *per Ordin*. *Cammer*: *part*: 3. *tit*: 32. §. 3. 4. 5. *Myns*. l. *Obs*. 1. in *f*. *Gail*. 1. *Obs*. 76. n. 2. adeo, ut si forte per incuriam omissa sit, conclusio rescindi & litis

B

contesta-

contestatio injungi debeat. *Gail. d. loc. Rhodig. in pand. Cam: l. 3. r. 30. p. 720.*

THESES. XXII. Cæterum ab hac rigida solemnitate, in ipsa Camera ratione circumstantiarum & secundum controversiæ qualitatem quandoq; receditur & ad definitivam proceditur, etiamsi in priori instantia nullatenus contestatio facta, sed ea prorsus omissa sit, dummodò aliàs de meritis Causæ principalis, ex prioribus actis, iudici plenè constare possit, ex quibus animi sui motum informare queat, idq; Vigore Ordin: *Cam: d. part: 3. tit: 34. ratio, ut æquitatis major quam; stricti juris habeatur ratio l. 8. C. de Judic. l. 90 ff. de R. J. c. 70. §. ult: X. d. appell: & finis tandem litibus imponatur. Myns: 2. Obs: 27 & 4. O. 62. Gail. 1. Obs: 42. n. 1. & O. 75. n. 5.*

THESES. XXIII. Non diffitemur interim, dari plurimas causas, in quibus litis contestatio Regulariter non judicatur nec necessaria, quarum potissimas recensere lubet, tales sunt I. Causæ Spirituales *Clem. dispendiosam 2. de judic: c. 1. de eo qui mittitur in possess: in 6. II. Causæ summaria & extraordinaria Clem. sepe: de V. S. quæ in ordinat: Cam. p. 3. tit 3. descriptæ reperiuntur. III. Causæ Nullitatum, si nullitas exactis prioris instantiæ sit notoria. O. C. p. 3. r. 34. § 2. Obrecht d. c. 4. n. 43. & seqq. Myns: 1. Obs: 38. Gail. 1. Obs: 77. IV. Causæ diffamationum, Obrecht. d. c. 4. n. 29. Gail: 1. Obs: 12. n. 2. Richt. p. 2. decis. 100. n. 34. V. Causæ attentatorum & inhibitionum, per Const: Imper. de ann. 1570. §. in puncto attentatorum 95. Obrecht. d. c. 4. n. 30. VI. Causæ momentanea possessionis, Obrecht: d. c. 4. n. 31. Gail. 1. Obs: 5. n. 2. & Obs: 6. n. 1. 2. 3. VII. Causæ pignorationum. Gail. libr. Sing: de pignorat. Obs: 21. n. 2. & 7.*

THESES. XXIV. VIII. Causæ relaxandorum captivorum Obrecht. c. 4. n. 48. *Carpzov. part. 1. const. 10. def. 8. Gail. 1. Obs: 78. n. 3. 4.* IX. Causæ executivæ, in quibus agitur ad executionem ex Instrumento Guarentigiato, auff flare Brieff und Siegel. *Carpzov. p. 1. const. 10. def. 10. & lib. 3. t. 4. Resp. 31. n. 12.* X. Causæ fiscales, in quibus à monitoriis initium fieri solet Obrecht d. c. 4. n. 27. *Perez. ad l. un: C. h. t. n. 7.* XI. Causæ alimentorum *Colerus in process: executiv p. 3. c. 1. 2. Obrecht d. c. 4.* Et deniq; in omnibus causis, in quibus solennis libellus omittitur, solennis quoq; litis contestatio non desideratur. *Gail. 1. Obs: 76. n. 4. Obrecht*

recti d. c. 4. n. 50. Perez ad l. un. C. b. t. n. 7. ratio, quod, sicut in ejusmodi causis summariis & privilegiatis, qualis qualis narratio ac petitio sufficit, ita quoq; qualis qualis responsio sufficiat, & quilibet actus judicarius, in quo de meritis Causæ tractatur, vicem litis contestationis suppleat Berlich. part. 1. Concl. 26. n. 6. & plures ab eo alleg. Carpzov. part. 1. Const. 10. def. 8. & lib. 3. tit. 4. Resp. 31. n. 10. & seqq.

THESES. XXV. Formæ Litis Contestationis, in unius narratione & alterius responsione congrua consistit, tunc enim litem recte contestamur, quando per narrationem ultro citroq; factam, iudex causam negotii intelligere cœpit. *l. un. C. b. t. ibidemq; Sichard. n. 3. & Brunnem:* tum demum autem intelligere incipiet, si ita apte ac congruè narraverint hinc inde litigantes, ut appareat, quid inter ipsos principaliter agatur. Uti itaq; narratio ac petitio Actoris debet esse apta, ne libellus tanquam ineptus rejiciatur, & uti Dd. loquuntur, dentibus laceretur; Sic quoq; Responsio Rei debet esse apta & congrua, hoc est, clavis, perspicuis ac idoneis, ad ipsum principale negotium directis verbis fieri, veluti. *Nego narrata & petita Actoris, & peto mecum, refusione expensarum absolvi: Ich bin der klage nicht geständig/sondern bitte mich mit Aberag Kosten und Schadens davon zu erledigen. Ord. Cam. part. 3. tit. 32. §. 5. Adde nostram saluberrimam Reformationem Francosurtanam part. 1. tit. 22. §. 1. Umm. d. D. 12. th. 5. n. 15. Berlich. p. 1. Concl. 26. n. 3. 4. Carpzov. p. 1. Const. 10. def. 2. & lib. 3. tit. 4. Resp. 32. n. 8. & seqq.* quod ipsum in *Noviss. Imp. Rec. de ann. 1654. §. 37.* egregiè repetitum, ac confirmatum. *Es soll der Citirter oder Beslagter ebenmäßig in primo termino erscheinen / und auff die Klage/kurz/nervosè und deutlich/auch unterschiedlich und klar/ob und worinnen das factum anders/ als von Klägern vorbracht/ und wie es sich eigentlich verhalte / specificiren, und auff jeden puncten mit allen seinen umständen anzeigen. Brunnem. in proc. juris. c. 14. n. 11. & seqq. Rhodig in pand. Camer. lib. 3. t. 30. p. 725.*

THESES. XXVI. Hinc frequentissima illa litis contestationis Formula, *Nego narrata, prout narrantur, & petita, prout petuntur, merito rejicitur*, siquidem verba illa nil minus, quàm litis contestationem,

inferunt, sunt enim neque simpliciter negativa, neque simpliciter affirmativa, quia Vocula *prout*, denotat aliqua in libello esse vera, & aliqua falsa, licet ea, quæ sint vera vel falsa, non appareat, adeoque judex incertus maneat, in quo principale versetur negotium, quocirca Reum cogere debet, ut distinctè & specificè litem contestetur, futurum alioquin, ut judicium nullius sit momenti. *Perez ad l. un. C. h. t. n. 4. Berlich, p. I. concl. 26, n. 1. 2. 3. Carpzov. p. I. const. 10. def. 1. & 2. & lib. 3. tit. 4. Resp. 32. n. 2. 3. Brunnem. in proc. d. 6, 14 n. 9.* Neq; etjam per solam ac nudam oppositionem Exceptionum, litem Reus congruè contestatur. *l. 9. C. d. except. c. exceptionè de R. J. in 6. c. 2. d. lit. cont. in 6. c. 6. in m. X. d. except.* Ubi tamen variè distinguunt, uti demonstrat *Umm. d. D. th. 5. n. 16.* quo Nos brevitaris causà remittimus.

THEs. XXVII. An verò reus per verba *credo, vel non credo*, litem congruè contestetur? *Disput. Dd. vid. Umm. d. D. th. 5. n. 25. & Sichard. ad d. l. un. C. h. t.* Nobis affirmativa placet, præprimis, si vel super factò proprio antiquo, vel etiam factò alieno responsio fieri debeat. *c. 15. X. de restit. Spol. Ord. Cam: p. 3 tit. 14. pr. & tit. 15. §. 4. Carpz. p. I. const. 10. def. 6. & lib. 3. t. 4. Resp. 33. n. 27.* Sic quoq; in controversiam venit, an litis contestatio rectè fiat per verba *nescio seu ignoro*; *Umm. d. th. 5. n. 15.* Et placuit responsionem hanc, litis contestationi negativæ æquipollere, vel saltem pro legitima habendam, ad hoc, ut ad probationem & reprobationem deveniri possit, maxime si litis contestatio fiat per procuratores, vel heredes, vel alios, qui justam facti alieni prætendunt ignorantiam, uti aliquot rationibus defendit *Carpzov. lib. 3. t. 4. n. 25. & seqq. per d. c. 15. X. de rest. Spol.* Sed quid de illa formula, *Tu mentiris per gulam*, judicandum? *Umm. d. th. 5. n. 15. & Sichard. ad l. un. C. h. t. n. 9.* illam pro litis contestatione Negativa habent; Nos responsionem hanc tanquam injuriosam, planè non admittendam, sed ab actis rejiciendam, cum *Obrecht. c. 7. n. 33. & seq.* censemus, quia in judiciis non est certandum convitiis *l. 6. C. de Postul.*

THEs. XXVIII. Non tamen ad Formam litis contestationis spectare existimamus, ut fiat vel utraq; parte præsentè, vel in conti-
nenti

renti uno & continuo actu, vel tantum oretenus: quamvis enim hæc talia, jure Antiquo Romano sic obtinuisse, negari haud possit *obl. 3. §. 11. ff. d. pec. junct. l. 1. §. 1. l. 137. ff. de V. O.* Hodie verò ex Ulu & Consuetudine Curiarum aliud introductum, quotidie videmus; ita ut non solum altera parte absente, & post intervallum, sed etiam in scriptis litris contestatio fieri queat, uti erudite satis demonstrat *Sichard. in C. h. n. 3. 4.* quam observantiam probat quoq; *Umm. d. th. §. n. 15. & Ob. recht. c. 6. n. 5. & seqq. Carpov. p. 1. const. 10. def. 2. n. 1. auth. offeratur libellus C. h. t. Ord. Cam. p. 3. t. 13. §. 4. & tit. 15. §. 4. ibi in Schrifften. junct. Rec. Imp. de anno 1570. §. 89. in verb. soll Beklagter im zweiten termin. & in verb. inscriptus litem su contestiren. & Nov. Imp. Rec. de an. 1654. §. 38. ibi: In Schrifften oder Mündlich.*

THBS. XXIX. Deniq; circa Formam Litis Contestationis notandum, quod hodie juxta Recessus Imperii, Reus in primo termino si omnibus Exceptionibus destitutus est, litem purè, *Rec. Imp. de anno 1570. §. 89. & de an. 1594. §. 62.* Si verò Exceptiones vel dilatorias vel preceptorias habet, omnes conjunctim in eodem termino, sub poena præclusi, proponere, insimulq; litem Eventualiter contestari teneatur. *Ord. Cam. p. 3. t. 13. §. 1. & ult. d. Rec. Imp. de an. 1570. §. 89. de an. 1594. §. 62. 63. & Noviss. Rec. de ann. 1654. §. 37. 38. 40. Brunnem. d. c. 14. n. 12. Rhodig. in pand. Cam. l. 3. t. 30. p. 718. & seqq. Blum. ad Ord. Cam. p. 3. t. 12. §. 1. in Notis.*

THBS. XXX. Finis litis contestationis est, ut judex intelligat, super quo ipsi judicandum sit, quæq; ad cognitionem & definitionem ejus pertineant; Deinde, ut partes quoq; sciant, in quo lis consistat, & quid ab ipsis probari, vel impugnari debeat. *l. un. C. h. t. & ibi Dd. comm. Umm. d. D. 12. th. 6. n. 18. & 19. Wesemb. in ¶. C. h. t. n. 7. Obrecht. d. tr. c. 10. n. 3. & 4.* intermissa enim litis contestatione, in ordinario judicio quicquam firmiter tractari vel etiam ad testium productionem & definitivæ pronuntiationem regulariter procedi non potest. *Dd. in d. l. un. & c. un. X. h. t. l. 8. C. quomod. & quand. judex. l. 4. C. de Sentent. c. 1. 2. & t. 1. X. ut lit. non contest. Gail. 1. Obs. 73. n. 1. & Obs. 75. n. 4. & Obs. 76. n. 3.* undè facile est, Quæstionē illā resolvere, An judex vel partes litis contestationē omittere vel remittere possint? Quod Regulariter Negandū, cum juris sit publici, cui pactis pri-

vatorum renunciari haud potest *Clem. saepe de V. S. l. 38. ff. de pact. Sichard. ad rubr. C. h. t. n. 2. Umm. d. D. th. 4. n. 12. in f. Gail. I. Obs. 75. n. 2. Matth. d. Afflict. decis. 191. n. 8. & fundamentum ac substantia totius iudicii, quâ omittâ, totus vitatur processus* *Sichard. ad rubr. C. h. t. n. 2. Gail. I. Obs. 74. n. 9. & obs. 75. n. 3. Carpov. p. 1. const. 10. def. 8. n. 1. & lib. 3. tit. 4. Resp. 31. n. 2. 3. Myns. 3. obs. 74. add. supra præloq. quamvis in augustissimo Cameral. iudicio ab hac ordinariâ dispositione quandoq; pro negotiorum qualitate & circumstantiarum ratione discedi, Supr. th. 22. dixerimus.*

THESES. XXXI. Effectus portò, quos litis contestatio producit, sunt varii, ac multiplices: alius enim est à parte Iudicis; alius à parte Actoris, alius à parte Rei, alius deniq; Promiscuus. A parte Iudicis potissimus effectus est, quod iudex aditus tanquam suspectus, recusari vel ut incompetens ampliò declinari nequeat *l. 4. C. de iurid. l. ult. C. de Except. Umm. d. D. th. 6. n. 20. Gail. I. O. 74. n. 2. Nisi ex causa de novo emergente; Perez ad l. un. C. h. t. n. 10. Per litis enim contestationem iudicio quasi contrahitur l. 3. §. 11. ff. de pecul. & quis obligatur instantiæ, ut ab ea invito adversario discedere non possit, Perez. d. loc. Gail. d. O. 74. n. 6. 7. Carpov. p. 1. const. 10. def. 2. n. 4. & Const. II def. I. n. 7. 8. idem lib. 3. tit. 4. Resp. 34. n. 3. eoq; pertinet regula. Quod ubi ceptum est iudicium, ibi finem accipere debet, l. 30. ff. de iudic. Sunt, qui per litis contestationem, demandatam quoq; jurisdictionem perpetuari dicunt, moti *l. 6. ff. de iurid. & c. 19. X. de offic. iud. deleg. Cæterum ab hac sententia discedit Umm. d. D. 12. th. 6. n. 20. cum jurisdictione etiam per solam citationem perpetuari queat: c. gratum 20. X. de offic. deleg. c. ult. X. de offic. legat. Gail. I. O. 74. n. 19.**

THESES. XXXII. Effectus à parte Actoris I. est quod per Lit. Cont. Actiones temporales perpetuentur *l. 9. §. 3. ff. de iurejur. l. ult. inf. de fidejus. tut. l. 139. ff. de R. J. l. 24. pr. ff. de liber. Caus. Olim sanè omnes ex contractu actiones erant perpetuæ, Verùm illæ ad 30. annos restrictæ sunt l. 3. C. de præscript. 30. ann. l. 1. §. 1. C. de: annal. excepti. Intra quod tempus nisi quis agat, deinde præscriptione temporis excluditur, nihilominus tamen, si litem contestatus fuerit, & postea litem forsan intermiserit, actio est perpetua, ita ut à tempore intermissi iudicii denaum 40. annis excludatur *l. ult. C. de præ-**

præscript. 30. ann. junct. d. l. un. §. 1. C. de ann. except. Excipitur autem actio de dolo, quæ biennio terminatur l. fin. & ibi Dd. C. de dol. junct. l. 3. in f. C. de præscr. 30. ann. & in integrum restitutio, quæ quadriennio finitur, l. ult. & ibi Dd. C. de temp. in integr. restitut. Umm. d. D. th. 6. n. 21. Perez ad d. l. un. C. h. t. n. 10. Carpzov. part. I. const. 11. def. 1. 7. 1. quod posterius tamen in Camera Imperiali non observari, sed restitutionis agitatae litem etiam longo post quadriennium intervallo decifam, restatur Myns. I. Obs. 51.

THESES, XXXIII. II. Effectus apparet in actionibus Pœnalicibus. Hæ enim regulariter contra heredes non dantur, ne quidem si rei persecutoriae sint; Nisi quatenus ex delicto ad ipsos pervenit. §. 2. Inst. de perpet. & temp. act. l. 38. l. 111. §. fin. ff. de R. J. l. 17. §. f. cum l. seq. ff. de dol. l. 4 §. f. l. 6. & seq. ff. de alienat. jud. mut. l. 23. §. 8. ff. ad L. Aquil. Carpzov. p. 4. const. 12. def. 9. quia pœna delicti nomine introducta, ipsum delictum ejusq; authorem spectat l. 26. ff. l. 22. C. de pœn. Exceptâ conditione furtivâ, quæ in solidum contra heredes furis datur l. 9. ff. de condit. furt. Cœterum, si in actionibus pœnalibus cum defuncto lis fuerit contestata, tum actiones illæ perpetuantur & ad heredes transeunt, l. 26. l. 33. l. 58. ff. de O. & A. l. 139. l. 164. ff. de R. J. l. un. C. de delict. defunct. Perez ad d. l. un. n. 10. Umm. d. th. 6. n. 21. Carpzov. d. def. 9. Quoad damna scilicet, Interesse & Expensas, non verò, ut judiciû capitale lubeant, egregiè Carpzov. l. 3. tit. 4. Resp. 38. not. & Richter. p. 2. dec. 55. n. 17. & seqq. & Dec. 26. n. 161. & seqq. Obrecht. d. tr. c. 10. n. 57. Quanquam de jure Canonico, Covarr. 3. resol. 3. n. 7. & Dd. comm. existimant, quasi heres indistinctè teneatur pro viribus hereditariis, ad satisfactionem delicti à defuncto perpetrati. c. f. X. de Sepult. c. 9. X. de usur.

THESES, XXXIV. III. Effectus est, quod Usucapionem & Præscriptionem interrumpat, etiam si apud arbitros facta sit l. 2. C. ubi in rem act. l. 5. §. 1. C. de rec. arbitr. l. 10. C. de acquir. poss. l. 10. C. de præscr. long. temp. Obrecht. c. 10. n. 67. quod aliquot rationibus strenuè defendit Umm. d. th. 6. n. 21. IV. Effectus est, quod rem petitam litigiosam faciat, auth. litigiosa C. de litigios. quod omnes ferè agnoscere Dd. ait Umm. d. l. vid. Sishard. ad rubr. C. h. t. n. 7. Brunnem. ad l. un. Unde fit, ut res in judicium semel deducta, post conventionem judicariam validè alienari amplius non possit l. 2. C. d. 1. V. Effectus est, quod post litem

litem contestatam actor libellum amplius mutare nequeat *Umm. d. D. th. 6. n. 21. in f. Gail. 1. Obs. 51. n. 9. & Obs. 74. n. 4. 8. 9. Carpzov. p. 1. const. 11. def. 1. n. 5. & seqq. & lib. 3. t. 4. Resp. 34. n. 2. & seqq.*

THES. XXXV. A parte Rei Effectus est, I. quod Exceptiones Dilatoriae post litem contestatam amplius opponi nequeant. *l. 13. C. de procur. l. 8. & 9. C. de Except. Sichard. in rubr. C. h. t. n. 7. in f. Perez. in d. l. un. n. 9 & 10. Gail. 1. Obs. 74. n. 2. Nisi exceptio dilatoria iudicio jam accepto gignatur, aut Reo primum innotescat, tunc illâ uti non prohibetur, modo juret, exceptionem illam ante litis contestationem sibi fuisse incognitam. c. 4. X. de except. c. 25. X. de offic. & pot. del. Zan- ger. de Except. p. 2. c. 18. n. 13. Carpzov. p. 1. const. 11. def. 15. II. Quod res petita post litis contestationem ipsi Reo pereat. *40. pr. ff. de petit. hered. l. 1. §. 34. l. 19. de Vi. & Vi arm. Hotom: illust. quæst. 30. Umm. d. th. 6. n. 22. III. Quod post litis contestationem omnes possesores fiant æquales, & in malâ fide constituantur. l. 25. §. 7. ff. de petit. hered. l. 10. C. de acquir. poss. & propterea ab eo tempore omnes fructus, accessiones & usuras præstare ac restituere cogantur. § 2. Inst. de offic. judic. l. 4. §. 2. ff. fin. regund. l. 31. pr. ff. de reb. cred. l. 34. l. 35. l. 38. §. 7. ff. de usur. l. 20. & l. 22. C. de R. V. l. 2. C. de fruct. & lit. exp. Sichard: ad rubr. C. h. t. n. 7. Perez: ad d. l. un. C. n. 10.**

THES. XXXVI. Effectus promiscuus s. communis est, I. Quod Novationem inducat. *l. 11. §. 1. l. 29. ff. de novat. l. 3. C. eod. Gædd. ad l. 26. de V. S. n. 11. Umm: d. th. 6. n. 23. Unde novatio alia Voluntaria, alia Necessaria dicitur. d. l. 29. II. Quod à litis contestatione demum, propriè loquendo, iudicium incipiat. *Sichard: ad rubr. C. h. t. n. 1. & seqq. Umm: d. D. th. 6. n. 22. Gail: 1. obs: 74. n. 1. & obs: 75. n. 4. Coshm: Vol. 1. Conf: 30. n. 28. Carpzov: p. 2. const: 15. def: 12. n. 5. Unde exordium litis dicitur. c. 27. pr. X. de offic. jud. deleg. & ante litis Contestationem nemo agere vel petere, sed agere vel petere velle, dicitur. l. 15. ff. rat. rem hab. Gail: d. Obs: 74. n. 2. Perez: in l. un. C. h. t. n. 1. Sunt adhuc alii hujus materiae Effectus, quorum longiorem Catalogum, hîc recensere & ad ulteriora, Contraria sc. & Affinia litis contestationis procedere, Lege Amplius, Facultatis prohibemur. Ideo hic pedem sistimus. Interim in cuius Nominè cœpimus, nunc quoq; concludimus. Tibi dulcissime JESU pro concessa facultate sint laudes immortales.**

præscript. 30. ann. junct. d. l. un. §. 1. C. de ann. exc.
 actio de dolo, quæ biennio terminatur l. fin. & ibi
 l. 3. inf. C. de præscr. 30. ann. & in integrum re-
 cennio finitur, l. ult. & ibi Dd. C. de temp. in integr.
 §. n. 21. Perez ad d. l. un. C. h. t. n. 10. Carpzov. p.
 1. quod posterius tamen in Camera Imperiali ne-
 tutionis agitata: litem etiam longo post quadri-
 cislam, restatur Myns. 1. Obs. 51.

THESES, XXXIII. II. Effectus apparet
 bus. Hæ enim regulariter contra heredes non
 si rei persecutoria: sint; Nisi quatenus ex delictis
 §. 2. Inst. de perpet. & temp. act. l. 38. l. 11. §. fin.
 cum l. seq. ff. de dol. l. 4. §. f. l. 6. & seq. ff. de ali-
 §. ff. ad L. Aquil. Carpzov. p. 4. const. 12. def. 9. q.
 mine introducta, ipsum delictum ejusq; author
 22. C. de pan. Exceptâ conditione furtiva, quæ
 heredes furis datur, l. 9. ff. de condit. furt. C.
 bus pœnalibus cum defuncto his fuerit contest
 perpetuantur & ad heredes transeunt, l. 26. l. 33.
 139. l. 164. ff. de R. J. l. un. C. de delict. defunct.
 Umm. d. th. 6. n. 21. Carpzov. d. def. 9. Quoad dan-
 Expensas, non verò, ut judiciû capitale lubeant.
 4. Resp. 38. not. & Richter. p. 2. dec. 55. n. 17. & seqq. &
 Obrecht. d. tr. c. 10. n. 57. Quamquam de jure
 resol. 3. n. 7. & Dd. comm. existiment, quasi her-
 pro viribus hereditariis, ad satisfactionem delicti
 trati, c. f. X. de sepult. c. 9. X. de usur.

THESES, XXXIV. III. Effectus est, quod
 scriptionem interrumpat, etiam si apud arbit
 in rem act. l. 5. §. 1. C. de rec. arbitr. l. 10. C. de
 præscr. long. temp. Obrecht. c. 10. n. 67. quod aliqu
 fendit Umm. d. th. 6. n. 21. IV. Effectus est, quod
 faciat, auth. litigiosa C. de litigios. quod omnes
 Umm. d. l. vid. Siehardi ad rubr. C. h. t. n. 7. Bru
 ut res in judicium semel deducta, post convent
 lidè alienari amplius non possit l. 2. C. d. 1. V. E

the scale towards document

utem
 l. junct.
 quadri-
 l. D. th.
 def. 1. n.
 d resti-
 llo de-

Pœnali-
 idem
 evenit.
 17. §. f.
 l. 23. §.
 eti no-
 6. ff. l.
 ontra
 ctioni-
 nes illæ
 & A. l.
 n. n. 10.
 resse &
 l. 3. tit.
 & seqq.
 ovarr. 3.
 eneatur
 perpe-

& Præ-
 C. ubi
 C. de
 enue de-
 giosam
 Dd. ait
 inde fir-
 iam va-
 od post
 litem

